

separated there, and coagulated by Time. Mr. Cooper *Tab. 15. Fig. 4.* says he found the same Parts fill'd with a glutinous Matter, which he thinks is useful to prevent Abortion; which if vitiated, Impregnation is hinder'd.

The Liver and other parts contain'd in the *Abdomen*, were forc'd into an incredible small Compais (and by that Pressure a little chang'd in Shape) to perform their Office so long; to which the Muscles of the *Abdomen*, dislended so as to be scarce discernible, could give but little, if any, Assistance.

The Awe that People have here for dead Bodies, tho' never so prejudicial to the Living, would not suffer her Friends to let me make any farther Enquiry; so that I can send no Account of any other Part. The same Error hindered me examining another Woman, who died here about a Week after, of an *Ascites* which she had had Forty Years, any farther than to be satisfied she had Seven Gallons of Water contain'd between the Duplicatures of the *Peritonaeum*, and none in the Cavity of the *Abdomen*.

IV. *Methodus singularis quâ Solis Parallaxis five distantia à Terra, ope Veneris intra Solem conspi ciendæ, tuto determinari poterit: proposita coram Regia Societate ab Edm. Halleio J. U. D. ejusdem Societatis Secretario.*

**P**Lurima sunt maxime quidem paradoxa, omnemque fidem apud vulgus superantia, quæ tamen adhibitis Mathematicarum Scientiarum principiis levi negotio enodantur. Ac sane nullum problema magis arduum ac difficile videbitur, quam est *Solis à Terra distantiam vero proximam determinare; quod tamen obtentis accuratis qui.*



quibusdam observationibus, ad electa & prævisa tempora peractis, non multo opere efficietur. Id quod inclytæ huic Societati, quam immortalem fore auguror, in hac dissertatione ob oculos ponere libet, ut junioribus nostris Astronomis, quibus forsitan hæc observare ob minorem ætatem obtingere potest, viam præmonstrem, quâ immensam Solis distantiam intra quingentesimam sui partem rite dimeriri poterint.

Notum autem vobis est hanc distantiam à diversis Astronomiæ authoribus diversam fingi, prout cuique ex conjecturâ probabile visum est; à Ptolemyo quidem ejusque asseclis, uti & Copernico & Tycho Brabæo, Terra semidiametris mille & ducentis, Keplerio ter mille quingentis fere. Ricciolus distantiam Keplerianam duplicat, quia etiam men Hævelius dimidio tantum auget. At vero visus in Solis disco ope Telescopii Planetis Venere & Mercurio mutato fulgore nudatis, tandem compertum est Planetarum diametros visibiles multo minores esse quam eatenus haberentur; Venerisque Semidiametrum è Sole visum non nisi quartam minutum primi partem vel quindecim secunda subtendere; Mercuriique semidiametrum, ad medium ipsum à Sole distantiam, sub angulo decem tantum secundorum conspici; atque sub eodem etiam Saturni semidiametrum è Sole videri. Jovis autem Planetarum maximi semidiametrum non nisi tertiam minutum primi partem apud Solem subtendere. Unde, servatâ analogiâ, nonnullis è modernis Astronomis visum est, Terra quoque semidiametrum è Sole conspectam, medio loco inter Jovis majorem & Saturni & Mercurii minorem angulum subtendere, Venerisque æqualem, nempe quindecim secundorum: adeoque Solem à Terra quatuordecim fere millibus semidiametrovum Terra distare. Isdem autem Authoribus, aliud argumentum paulo ampliavit hanc distantiam: quoniam enim Luna diameter paulo major est quartâ parte diametri Terræ, si Parallaxis Solis ponatur quindecim minutorum secundorum, fieret

*Lunæ* corpus corpore *Mercurii* majus, Planeta scil. secundarius primario major; quod concinnitati Systematis mundani contrariari videretur. E contra vero *Venerem* inferiorem & Satellitio desicutam, majorcm esse *Terrâ nostrâ* superiori & tam insignem comitem naðâ, vix concedere videtur eadem concinnitas. Ut itaque medio loco incedamus, ponatur *Terræ* semidiameter è *Sole* visa, seu quod idem est, *Solis* Parallaxis horizontalis, duodecim secundorum cum semisse: unde *Luna* minor erit *Mercurio* & *Terra Venere* major; ac proveniet *Solis* a *Terra* distantia sedecies mille cum quingentis *Terræ* semidiametris proxime. Huic autem distantiae in præsentia cum assensum præbeo, usq; dum Experimento quod proponimus quanta sit certius constet. Nec moror authoritatem quantumvis gravem eorum qui *Solem* ultra hos terminos in immensum evehunt, freti observationibus vibrantis Penduli, determinandis his angularum minutis, uti videtur, haud satis fidis: saltem hâc methodo tentanti Parallaxis aliquando nulla, aliquando etiam negativa occurret; hoc est distantia vel infinita fiet, vel infinito major: quod absurdum. Et, ut verum fatear, minuta secunda vel etiam dena secunda instrumentis quantumvis affabre factis certo distinguere vix homini datum est; atque adeo minime mirandum, si tantorum Artificium multos & ingeniosos conatus haec tenus eluserit rei ipsius maxima subtilitas.

Dum autem ante 40 fere annos, in Insula Sanctæ Helena, syde: um polum Australem ambientium observationibus operam darem, contigit mihi *Mercurium* sub *Solis* disco transiuntem omni adhibitâ diligentia observare: quodque mihi præter spem feliciter succesit, momentum quo *Mercurius* ingrediens *Solis* limbum interius contingere visus est, pariterque momentum quo egrediens limbum *Solis* strinxit, factio angulo contaðû: interioris, Tubo optimo vi-ginti quatuor pedum accuratissime obtinui. Unde pro comperto habui intervallum quo *Mercurius* totus intra *Solis* discum

discum tum temporis apparuit, etiam absque errore unus minutus secundi temporis: Nam filum luminis Solaris, inter limbum planetæ obscurum & Solis lucidum interceptum, quantumvis tenue in oculos incurvare visum est; & in ictu oculi, denticulus in limbo Solis a Mercurio ingrediente factus evanescere, ut ab egrediente factus quasi momento incipere. Hoc autem perspecto statim intellexi Solis Parallaxin ex hujusmodi observationibus rite concludi posse, si modo *Mercurius Terris* vicinior majorem habet parallaxin à Sole; etenim hæc parallaxium differentia tantilla est, ut semper minor sit ipsa Solari quam querimus; proinde *Mercurius*, licet frequenter intra Solem vendens, huic nostro negotio vix satis aptus habebitur.

Restat itaque *Veneris* transitus per Solis discum, cuius parallaxis quadruplo fere major Solari, maxime sensibiles efficiet differentias, inter spatia temporis quibus *Venus Solem* perambulare videbitur, in diversis *Terræ nostræ* regionibus. Ex his autem differentiis debito modo observatis, dico determinari posse Solis parallaxin etiam intra scrupuli secundi exiguum partem. Neque alia instrumenta postulamus præter *Telescopia* & *Horologia* vulgaria sed bona: & in Observatoribus non nisi fides & diligentia, cum modica rerum Astronomicarum peritia desiderantur. Non enim opus est ut Latitudo Loci scrupulosè inquiratur, nec ut Horæ ipsæ respectu meridiani accurate determinentur: sufficit, Horologiis ad Cæli revolutiones probe correctis, si numerentur tempora à totali Ingressu *Veneris* infra discum Solis, ad principium Egressus ex eodem; cum scilicet primum incipiatur Globus *Veneris* opacus limbum Solis lucidum attingere; quæ quidem momenta, propria experientia novi, ad ipsum secundum temporis minutum observari posse.

Ob leges autem motuum admodum arctas, rassisime intra Solis orbem conspicitur *Venus*, ac per plus quam centum & viginti annorum decursum, ne semel

B b b

quidem

quidem ibidem videbitur ; nempe ab anno 1639. (cum præclaro Juveni *Horroxio* nostro, eique primo & soli à rerum conditu, jucundissimum hoc spectaculum obtigit,) usque in annum 1761, quo juxta Theorias quas hactenus cœlo conformes experimur, Srella *Veneris* iterum subtercurret Solem, Maii 26. mane ; \*ita ut Londini, horâ fere sextâ matutinâ in medio disci Solaris expectanda sit, nec nisi quatuor minutis centro *Solis* Australior. Duratio autem hujus transitus erit octo fere Horarum, nempe à secunda usque in decimam fere matutinam. Atque adeo ingressus minime *Anglis* conspicuus erit : cum autem Sol tum temporis occupaturus sit 16. *Geminorum* gradum, vigin-  
ti tres ferme gradus in Boream declinans ; per totam quasi Zonam frigidam Septentrionalem inocciduus conspicietur : ac proinde qui littus *Normegiae* incolunt ultra Urbem *Nidrosiam*, quam *Drontem* vocant, usque ad Promontorium ejus *Boreale*, *Venerem Solis* discum subingredientem obser-  
vare poterunt ; ac fortasse *Scotis* Borealioribus & Insulae *Hetlandiae*, olim *Thylen* dictæ, incolis, in oriente Sole ingressus ille conspici poterit. Quo tempore vero *Venus Solis* centro proxima erit, Sol verticalis erit supra litora Borealia sinus *Gangetici*, vel potius regni *Peguani* ; ac proinde in Regionibus circumvicinis, cum Sol in ingressu *Veneris* quatuor fere horis distabit ad ortum, & in egre-  
su totidem fere ad occasum, accelerabitur motus apparen-*s* *Veneris* intra Solem duplo fere parallaxeos horizontalis *Veneris* à Sole ; quia *Venus* tunc ab ortu in occasum fertur retrogradè, interea dum oculus ad *Terra* superficiem positi-  
tus in contrarias partes ab occasu in ortum gyratur.

Positâ autem parallaxi *Solis*, uti diximus, duodecim se-  
cundorum cum semisse, erit parallaxis *Veneris* 43<sup>um</sup> secun-  
dorum ; & sublatâ parallaxi *Solis*, restabit saltem semimi-  
nutum pro parallaxi Horizontali *Veneris* à Sole, ac proinde  
dodrante saltem minuti promovebitur *Veneris* motus à  
parallaxi illa, interea dum *Solis* discum percurrit, in his  
scili-

scilicet Poli altitudinibus quæ Tropico vicinæ sunt ; atque adhuc amplius in vicinia Äquatoris. *Venus* autem tum temporis satis accurate quatuor minuta prima singulis horis intra *Solem* conficiet ; ac propterea dodranti minuti undecim saltem temporis minuta prima competit, quibus duratio *Eclipses* hujus *Veneræ* ob parallaxin contrahetur. Atque ex hac contractione solâ liceret de parallaxi quam quærimus tutò pronunciare, si modo darentur *Solis* diameter *Venerisque* Latitudo in minimis accuratæ ; quas tamen ad computum postulare, in re tam subtili, haud integrum est.

Procuranda est igitur alia observatio, si fieri possit, in locis illis ubi medium *Solis* occupat *Venus* in ipso Medi noctio ; nempe sub Meridiano priori opposito, i. e. sex quasi horis vel 90 gradibus *Londino* occidentaliore, & ubi *Venus* paulo ante occasum *Solem* subintrat, paulo post ortum, exit ; id quod fiet in dicto Meridiano, sub altitudine Poli Borei quinquaginta sex circiter graduum : hoc est, in eo Sinu qui *Hudsoni* dicitur, ad Portum ejus cui nomen *Nelsoni* inditum. In locis enim huic circumvicinis parallaxis *Veneris* durationem transitus protrahet, & sex saltem temporis minutis longiorem efficiet ; quia dum *Sol* ab occasu in ortum sub Polo tendere videtur, ea loca in disco *Terra*, motu contrario in occasum ferri videbuntur, hoc est motu cum motu proprio *Veneris* conspirante ; proinde tardius moveri videbitur *Venus* intra *Solem*, ac cum diuturniore mora discum ejus pertransire.

Si itaque in utroque loco, hic transitus ab Artificibus idoneis contigerit debite observari, manifestum est totis septendecim minutis longiore futuram esse moram in portu *Nelsoni* observabilem, quam quæ apud *Indos* orientales expectanda est : nec multum refert an ad Fortalitium *Sandi Georgii* vulgo *Maderás* dictum, vel ad *Bencoulam* in litore occiduo Insulæ *Sumatra* prope æquatorem capiatur observatio, si *Anglis* tum temporis hæc studia curæ fu-

erint. Si vero *Gallis* his rebus invigilare placuerit, non incommode apud *Pondechery* se sistet Observator in litore *Sinus Gangetici* occidentali, sub altitudine Poli duodecim fere graduum. *Batavis* autem celeberrimum *Bataviae* suæ Emporium Observatorium huic negotio satis aptum ministrat, si modo illis etiam animus fuerit hac in parte cœlorum scientiam promovere. Ac sane vellem diversis in locis ejusdem Phænomeni observationes à pluribus institui, tum ad majorem adstruendam ex consensu fidem, tum ne Nubium interventu frustraretur singularis Spectator, eo spectaculo quod nescio an denuo visuri sunt hujus & subsequentis seculi Mortales ; & à quo pendet Problematis nobilissimi & aliunde inaccessi solutio certa & adæquata. Curiosis igitur syderum scrutatoribus, quibus, nobis vita functis, hæc observanda reservantur, iterum iterumque commendamus ut, moniti hujus nostri memores, observationi peragendæ strenue totisque viribus incumbant ; iisque fausta omnia exoptamus & vovemus, præprimis ne nibili cœli importuna obscuritate exoptatissimo spectaculo priventur; utque tandem Orbium cœlestium magnitudines intra arctiores limites coercitæ in eorum gloriam famamque sempiternam cedant.

Diximus autem hac ratione Solis Parallaxin intra quingentesimam sui partem investigari posse, id quod nonnullis mirum sine dubio videbitur. Veruntamen si in utroque è locis nuper designatis accurata habeatur observatio ; jant monstravimus, totis septendecim minutis differre inter se durationes *Eclipsionum* harum *Venerarum*, ex Hypothesi scilicet quod Solis parallaxis fuerit duodecim cum dimidio minutorum secundorum. Quod si major vel minor reperiatur ex observatione hæc differentia, in eadem fere ratione major vel minor erit Solis parallaxis. Cumque 17 minuta prima temporis competant duodecim secundis cum dimidio parallaxeos Solaris ; pro unoquoque parallaxeos minuto secundo, orietur differentia plusquam 80 secundorum

dorum minutorum temporis; adeoque si habeatur differentia hæc intra bina secunda vera & comprobata, intra quadragesimam partem unius secundi minutus constabit quanta sit Solis Parallaxis; ac proinde distantia ejus determinabitur intra quingentesimam sui partem, saltem si parallaxis non minor reperiatur eâ quam supposuimus: quadragies enim duodecim cum dimidio sunt quingentis.


Hactenus Astronomicæ doctis satis superque rem indicasse mihi videor, quos etiam monitos velim, me in hoc argumento, Latitudinis Planetæ rationem non habuisse, tum ad vitandas calculi intricatioris molestias, conclusum etiam minus evidentem reddituras; tum ob motum Nodorum *Veneris* nondum compertum, nec nisi ex hujusmodi corporalibus Planetæ cum Sole Conjunctionibus rite determinandum. Non enim conclusum est *Venerem* quatuor minuta infra Solis centrum transituram, nisi ex Hypothesi quod Planum Orbitæ *Veneris*, in Sphæra stellarum fixarum immobile, Nodos suos iisdem in locis habiturum sit, ubi anno 1639 inventi sunt. Quod si tramite Australiori transeat anno 1761, liquido patebit Nodos regredi; si vero Borealiori, progredi inter Fixas; idque in ratione  $5 \frac{1}{2}$  min. in centum annis Julianis, pro unoquoque minuto, quo via *Veneris* tum temporis plus vel minus distabit à Solis centro quam dictis quatuor minutis. Differentia autem inter durationes harum Eclipserum paulò minor fiet septendecim minutis, ob Latitudinem *Veneris* Australem; major vero futura, si, procedentibus Nodis, ad Boream centri Solem transfierit.

In eorum autem gratiam, qui cum observandis syderibus oblectentur, nondum ramen integrum Parallaxium doctrinam hauserint, libet Schemate simulque Calculo paulo accuratiore, rem plenius exponere.

Ponamus igitur, anno 1761, Maii  $25^{\circ}$ .  $17^h. 55'$ . Londini, Solem occupaturum  $\pi 15^{\circ}. 37'$ . ac proinde ad centrum ejus Eclipticam tendere in Boream angulo  $6^{\circ}. 10'$ .


*Veneris.*

*Veneris* autem visibilem intra *Solis* discum Viam tum temporis descendere in Austrum, facto angulo cum Ecliptica  $8^{\circ} 28'$ : proinde via *Veneris* tendet parum in Austrum respectu æquatoris, intersecans declinationis parallellos angulo  $2^{\circ} 18'$ . Ponamus etiam *Venerem* ad dictum tempus *Solis* centro proximam fore, ac ab eodem quatuor minutis distare ad Austrum; singulisque horis etiam quatuor minuta prima intra *Solem* motu retrogrado describere. Erit autem *Solis* Semidiameter  $15' 51''$ . proxime, *Veneris* vero  $0' 37 \frac{1}{2}$ . Ac supponamus, experimenti gratia, differentiam parallaxium Horizontalium *Veneris* & *Solis*, quam quærimus,  $c'. 31''$  esse, qualis ex supposita *Solis* Parallaxi  $0' 12 \frac{1}{2}$  elicetur. Describatur itaque (Fig. II.) centro *C* circellus *AEBD*, cuius semidiameter sit  $0' 31''$ . discum Terræ repræsentans, & in eo Ellipses parallelorum  $22$  &  $56$  grad. Latitudinis Borealis, modo jam ad construendas Eclipses Solares ab Astronomis usitato, ut *DabE*, *cde*: sit autem *BCA* Meridianus in quo *Sol*; ad quem inclinetur recta *FHG* Viam *Veneris* designans angulo  $2^{\circ} 18'$ , quæque distet à centro *C* 240 partibus qualium *BC* est  $31$ ; & de *C* cadat recta *CH* ipsi *FG* perpendicularis. Ac posito planeta in *H* ad  $17^{\text{h}} 55'$ , vel  $5^{\text{h}} 55'$  mane, dividatur recta *FHG* in spatia Horaria III. IV, IV. V, V. VI, &c. ipsi *CH*, hoc est quatuor minutis æqualia. Fiat etiam recta *KL*, æqualis differentiæ apparentium Semidiametrorum *Solis* & *Veneris* sive  $15' 13 \frac{1}{2}$ . Et Circulus radio *KL*, centro vero quolibet puncto intra circellum Disci Terræ descriptus, occurret rectæ *FG* in puncto denotante quota hora *Londini* numerabitur, cum in eo Terra superficii loco, qui sumpto in disco puncto subjacet, *Venus* angulo contactus interioris *Solis* limbum contingat. Ac si centro *C* radio *KL* descriptus circulus occurrat ipsi *FG* in punctis *F&G* erunt recte *FH*, *HG* =  $14' 41''$ , id quod percurrere videbitur *Venus* tribus horis cum  $40$  min. Cadet igitur *F* in



K                          differentia len

A



infra

VI

Solem

VII May 26. 1761

VIII Marte


tia Semidiam. Solis et Veneris. 3. 48. 8

L

*N<sup>o</sup> 348. Fig. II. pag. 462.*

*Lunibus Solis Dic.*

*Figura Veneris  
excuntis.*



*ii* IX N G P

*F* in  $11^{\text{h}}. 15'$ , *Londini*; *G* vero in  $IX^{\text{h}}. 35'$  mane. Unde manifestum est quod, si Terræ magnitudo, ob immensam distantiam, quasi in punctum evanesceret; vel si motu diurno destituta *Solem* haberet eidem puncto *C* semper verticalem, Eclipsois hujus Mora integra per septem horas cum triente duraret. Verum Terrâ interea motu motui *Veneris* contrario gyratâ per  $110$  grad. Longitudinis suæ, ac proinde contractâ dictæ moræ duratione, puta  $12$  min. proveniet ea  $7^{\text{h}}. 8'$ . proximè, sive  $107$  grad.

Jam in ipso Meridiano *Venus Solis* centro proxima erit ad Ostium orientale fluminis *Gangis*; ubi poli altitudo est  $22$  grad. circiter. Locus igitur ille utrinque æqualiter distabit à Sole, in momentis introitus & exitus planetæ, nempe  $53^{\circ}\frac{1}{2}$  grad. ut sunt puncta *a*, *b*, in parallelo maiore *DabE*. Erit autem Diameter *AB* ad distantiam *a b* ut quadratum Radii ad contentum sub Sinibus  $53\frac{1}{2}$  &  $68^{\circ}$  grad. hoc est, ut  $1'. 02''$  ad  $0'. 46''. 13'''$ ; ac calculio rite instituto (quem ne Lectori tædio sit, omittere præstat) invenio quod circulus centro *a* & radio *KL* descriptus occurret rectæ *FH*, in puncto *M*, ad  $11^{\text{h}}. 20'. 40''$ ; centro vero *b* descriptus occurret ipsi *HG* in *N*, ad  $IX^{\text{h}}. 29'. 22''$ ; horis sci icet *Londini* numeratis; proinde tota *Venus* interea *Solem* conspicietur ad *Gangis* ripas, per  $7^{\text{h}}. 8'. 42''$ . Rectè igitur posuimus durationem fore  $7^{\text{h}}. 8'$ ; cum pars minutus hic nullius sit momenti.

Aptato autem calculo ad *Portum Nelsoni*, invenio, quod Sole jamjam occasuro, discum ejus subitura sit *Venus*; statim vero ab ortu ejus exitura ab eodem; Loco illo interea per Hemisphærium à Sole aversum de *c* ad *d* translato, motu motui *Veneris* conspirante. Mora igitur *Veneris* intra *Solem* diurnior fiet ob Parallaxin, puta quatuor minutis; ut sit omnino  $7^{\text{h}}. 24'$ . sive  $111$  grad. æquatoris. Cumque Latitudo Loci sit  $56$  gr, erit ut Quadratum Radii ad contentum sub Sinibus  $55\frac{1}{2}$  &  $34$  grad ita  $AB = 1'. 02''$  ad  $cd = 28''. 33$ . Ac calculo rite peracto

racto constabit, circulum centro  $c$  radio  $X\bar{L}$  descriptum rectæ  $FH$  occursum in  $O$ , ad  $II^h. 12' 45''$ , centro vero  $d$  descriptum ipsi  $HG$  in  $P$ , ad  $IX^h. 36' 37''$ . Quocirca duratio Moræ ad *Nelsoni* portum erit  $7^h. 23' 52''$ ; major scilicet quam ad ostia *Gangis* totis  $15^h. 10'$  temporis. Quod si *Venus* absque Latitudine transferit, fiet dicta differentia  $18'. 40''$ ; Si vero quatuor minutis *Solis* centro fuerit Borealior, ad  $21'. 40''$  augebitur eadem differentia, multo major futura auctâ Planetæ Latitudine Boreâ.

*Londini* autem, ex prædictis Hypothesibus, consequitur *Venerem* jam tum infra *Solem* ingressam orituram; & ad  $9^h. 37'$  mane, in Egressu *Solis* limbum interius contacturam; ac denique non nisi horâ  $9^h. 56'$ , orbem ejus integrum relicturam esse.

Iisdem etiam Hypothesibus constat *Venerem* extre-  
mum *Solis* limbum Boreum quasi centro suo stringere  
debere, Anno 1769, *Maii*,  $23^{\circ}. 11^h. 00'$ , ita ut, ob  
Parallaxin, in Borealibus *Norwegiae* partibus, tota intra  
*Solem* inocciduum apparere poterit: dum in litoribus  
*Peruviae* & *Chili*, vix exiguo sui segmento cadentis  
*Solis* disco quasi inequitare videbitur; uti in Insulis  
*Moluccis* earumque viciniâ, oriente *Sole*. Quod si No-  
di *Veneris* retrocedere reperiantur (ut ob nuperas qua-  
dam observationes suspicio est) tum toto corpore intra  
orbem *Solis* ubique conspicua, maximâ harum Eclipsew  
differentiâ argumentum Parallaxeos *Solaris* præbebit ad-  
huc multo luculentius.

Quomodo autem ex observatis alicubi apud *Indos*  
Orientales, anno 1761, Ingressu & Egressu *Veneris*, &  
cum Exitu ejus apud Nos observabili collatis, eadem  
Parallaxis derivari poterit; aptando scilicet angulos  
Trianguli specie dati in trium Circulorum æqualium  
circumferentias, alia occasione docebitur.

Limbis, satis ex.

Figura Veneris  
Solis Discum  
intrantis.



O F M

III

Via

IV visibilis Veneris

V infrit


VI Solem

VII May 26. 1761

VIII Minc

IX

S G P



A

Figura Veneris  
excuntis.



K

Differentia Semidiam. Solis et Veneris. f. 48. §

L